



Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum
tractatione.

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1620

Dominica Sexagesimæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56314)

Dicendum est igitur, eos qui non nisi vdecima diei hora, id est, sub lege Evangelica in vinea Domini laborant, maiori dotos gratia, quam qui in lege naturæ aut Moisaica vixere, maiori etiam donari mercede, maiusque præmium recipere: atque illos immemto patrefamilias de iniquitate & iniustitia traducere & conqueri, quod enim denarium iis daret, quem condixerat, quemque operando promeriti erant, aliis vero ferius venientibus tantumdem daret; bonitati illius & benignitati ascribendum, in quo nullam culpandi alii occasionem dedit. Relinquamus igitur iniurios hosce murmuratores & oblocutores, Deique potius benignitatem demeremur, atque ita parabola huic faciem imponamus.

Cōclusio.

Vos autem Christiani Auditores, animo repetite obsecro quidquid hæcenus dictum est, reminiscimini, inquam, Ecclesiam vineæ, Christum Domini vineæ, nos ipsos vero operariorum imaginem gerere: Deum quoque omni diei, id est, vitæ huius, hora, sanctis inspirationibus permouendo, egredi, & nos conducere, vt in vinea hac laboremus: alios quidem in flore & aurora ætatis, alios vero in ætate virili & vitæ meridie, nonnullos etiam circa decrecentem senii diem. Hæc, inquam, animo vestro penitus insculpite, sanctis operibus incumbite, Dei vos obsequio consecrate; otium fugite & segnitiam; & cogitate, acriter illos à patrefamilias correptos, qui in foro steterant otiosi, expectantes donec ab aliquo conducerentur: nolite stertere, otioque indulgere, sed toto vitæ vestræ tempore strenue laborare, vt cum vesper ingruerit, denarium in mercedem recipere possitis.

Tu vero, ô æternæ rerum conditor, magnæfamilias pater, cuius vinea Ecclesia est, cuius operæ nos ipsi, & cuius labores cultusque opera nostra meritoria; nos iam inde à baptismo vocasti, vt in hac vinea laboremus & sudemus; conduxisti, & nobiscum conuenisti; vt, postquam toto die, aut aliquo saltem tempore in hac vita laborauerimus, beatitudinis nobis denarium persoluas. Verba porro tua veracissima sunt,

promissa tua certissima; conuenta tua irrevocabilia, adeo vt ne minimum quidem dubitemus: scimus enim, quod, quamuis opera ex seipsis nihil omnino valeant, modo filii tui meritis innixa suffulcæ; sint, pacto quod nobiscum iniisti præsupposito, in remunerationem tamen, tandem aliquando, id est, vltimo & nouissimo vitæ die, & circa ætatis vesperam, denarium accepruri sumus, vitam, inquam, beatam ac sempiternam, ad quam nos Pater & Filius & Spiritus sanctus perducere dignentur. Amen.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Partes.

1. Parabola quadam de verbo Dei.
2. Cur parabolis vsus Dominus, & quis seminans.
3. Quales esse oporteat satores verbi Dei.
4. Qua alia seminatoris adiuncta.
5. Declamare Domini, & auribus populi.
6. Quod semen cadat secus viam.
7. Quod semen cadat supra petram, & quod inter spinas.
8. Qua terra bona, & quis eius fructus.

Exiit qui seminat seminare semen suum.
Luc. 8.

FIGVRA.

SECVNDÆ generationis auctor Noe cum arcam, qua se suosque à diluio immunes seruaret; à Deo iussus esset fabricate, magno eam artificio & industria compegit, ita vt in eadem diuersas mansuuculas & habitacula diuersis vsibus accommoda constuuxerit. Quintuplicia eidem fuisse credunt Doctores & loci illius interpretes; vnum sordibus egerendis destinatum, & fornicarum vice fungens; in secundo, quæ ad victum necessaria erant, asseruabantur, in tertio animalia fera & indomita continebantur; in quarto, mansueta & hominum commercio gaudentia; quintum denique

Z 3. & po-

& postremum volucres simul & homines comprehendebat. fuere nonnulli, qui præfenti historiam hanc Euangelio a commo-
dare conati sunt, in quo Redemptor noster parabolam de semine producit, cuius prima quidem pars secus viam cecidit, ubi & ab a-
uib; sublata, & ab hominibus conculcata fuit; secunda in saxosa & cōfragosa loca, quæ ob humoris defectum radices agere non po-
tuit, ac proinde quamprimum exaruit; ter-
tia vero in dumeta & spineta, à quibus suffo-
cata, in herba & primo flore extincta fuit;
postrema autem in terrâ bonam quæ fœlici
segete herum beavit, fructumq; attulit tum
sexagesimum, tum centesimum. Diversi-
tatem hanc terræ cui semen hoc creditur,
prout Interpretes loci huius unanimi con-
sensu tradunt, varia illa arcæ habitacula de-
signant: terra enim viæ proxima carnales &
lasciuos denotare videtur, quorū figura erat
forica & sentina arcæ, quod non nisi immunda
cogitent & impudica proferant: saxa &
lapides symbolum sunt superborum, quos se-
cundum arcæ cubiculū representat, in quo
penus & horreum erat, & quidquid ad vitam
sustentandam necessarium: in his enim sita
potissimum est superbia & iactantia: spinæ
& vitiæ, diuites & auaros significant; quo-
rum imago fuit illa ferarum immaniumque
bestiarum mansio: nam vt hæ dentib; & un-
guibus cuncta dum rapiunt, dilaniant; ita &
diuitiæ, quæ prout bene olim Redemptor,
ait, vere spinæ sunt. Terra autē bona & fe-
rax, fructumq;, proficiens amplissimū, sunt
animæ sanctæ, & virtutib; deditæ, per quar-
rum & quintum arcæ habitaculū, in quo ani-
malia mansueta, aues simul & homines sta-
bulabant, designatæ. Horum autem triplex
status ordo potest: alii quippe in statu con-
iugali sunt, quos domestica illa animalia de-
monstrant (animalia autem sunt, quod ge-
nerationi & proli procreandæ dent operam,
quod ipsum animali omni proprium est;
mansueti sunt & mites, quod neuter alterum
debeat offendere, aut aliquod proximo ma-
lum inferre) atque hi fructum ferunt tricesi-
mum. Alii in continentia statu viuunt, quos
homines in arca cōprehensi designant: nam
quamuis in arca aliquot cōiugum paria es-

sent, generationi tamen, prout nonnullorum
interpretum opinio est, quamdiu terra dilu-
uio stagnaret, operam non dedere continen-
terq; inter se vixit. hi porro fructum sexa-
gesimum, geminato fœnore proferunt. Alii
denique virgines sunt, quos denotant aues
quæ cœlos volando petunt, & intra nubes
habitare interdum videntur. Hi enim quam
proxime ad Angelorum naturam cognatio-
nemq; accedunt, puritateque vitæ quam in
terra ducunt, Angelicam puritatem æmu-
lantur, cœlitibus iniuriam facturi; hinc et-
iam fructum centesimum afferre dicuntur:
Videte igitur, vt arcæ habitacula & cubilia
cum terræ diuersitate, de qua hodiernum
Euangelium loquitur, conueniant & coin-
cidant. Hoc ipsum exposituri, Sancti Spi-
ritus opem & auxilium, idque consueta Dei-
paræ intercessione, quam vt mediatricem
adhibeamus, enixe imploremus, dicamusq;
cum Angelico paranympho,

Ave MARIA.

Tantus verbi Diuini splendor & digni-
tas est, Auditores, tamq; ipsum admirabile
cœlestibus cum hominibus apparet, vt
sicuti non vnum, sed varia & millena prope-
modum effecta continet, ita idcirco non
vnicō, sed plurimis in sacris litteris nominib;
appelleretur; & infinitis propemodum rebus
simile esse perhibeatur. Denotat enim cum
primis effectus, potentiam essentiamque il-
lius, ipsa pluuia, quod nomen præ reliquis
primo iam mihi occurrit: quo nomine ipsum
Dauid rex appellauit: *Pluuiam voluntariam* Psal. 67.
gregabis Deus hereditati tuae. Quo in loco
de genuina ac vera doctrinæ diuinæ pluuia,
quæ hereditati Iesu Christi, id est, Ecclesiæ,
referuata est, locutus est: in Ecclesia enim
Deus nos docet, & verbo doctrinæ suæ, ve-
lut pluuia quadam cœlesti animos nostros
irrigat.

Didicerat hanc loquendi rationem Da-
uid à legislatore Moysè, qui Ecclesiasten &
prædicatorem agens, verba sua pluuia esse
similia exprobat, doctrinamque rotū.
Hinc in cantico ait: *Concresecat in pluuiam
doctrina mea, sicut vt ros eloquium meum, vt*
his

his loquendi modis verbi diuini suauitatem dulcedinemque exprimeret.

Apo. 1.

Admirabilis ille vir, quem Ioannes in Apocalypsi vidit, quemque Iesu Christi imaginem referre credit, cuius caput instar lanæ album, oculi instar flammularum scintillantes, facies solis instar rutilans, manus stellis erant plenæ; vocem tanquam vocem aquarum multarum habere describitur, *Et vox illius, tanquam vox aquarum multarum.* Quo mysterio designatur, quod quemadmodum aqua terram sterilem & infœcundam irrigat fœcundatque, ita sacrum Dei eloquium animas Christianorum impinguet, & spirituales in eis fructus producat.

Matth. 17.

Prophetis quoque de encomiis vocationeque Messia, qui celebris in mundo concionator futurus esset, quemque Pater æternus deinde audiri præcepit, (*ipsum audite*) agentibus; inter ceteros Ecclesiasticus de eo hinc in modum locutus est, *Et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientia sua.* Omnem hic Messia doctrinam sapientia nomine nuncupat; quod sancta hæc doctrina non nisi quam sapientissime prudentissimeque exponenda sit, omniaque verba sinceri Concionatoris ore proceduntia modestiam & sapientiam, non autem inania & fucum eloquentiamque puerilem, spirare oportet.

Ecl. 39.

Secundo sacrum Dei eloquium securi comparatur, ut è verbis Ioannis Baptistæ colligere est, qui primus hac comparatione usus est, dum in Palæstinæ desertis clamaret, *iam securus ad radicem arboris posita est*, quem locum Hieronymus exponens ait Euangelii prædicationem vere & merito securis nomine appellari, quod concionatoream radicem, id est voluntati, & non ramis, apponere debeat, altaque voce inclamare, *Omnis arbor qua non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.*

Verbum Dei securi comparatur.

Matth. 3.

Luc. 3.

Matth. 3.

Dan. 4.

Hinc apud Danielem male securim is posuisse censendus est, qui arborem illam proceram, Nabuchodonosorem inquam, radicibus non excidit, nec funditus amputauit, quæ deinde repullulans, ad priorem proceritatem reuersa est: *succidite arborem & dissipate illam, at tamen germine radicem eius in ter-*

ra dimittite. Ut ita euidens fiat, genuini & veri Euangelistæ partes esse, non inanes inanum conceptuum ramos concutere, nec arbores iniquitatum solummodo agitare; sed ad radicem securim figere, & funditus eas excindere. Dauid Goliathem expugnaturus: ita primum lapidem iecit, ut frontem feriens vno cum ictu ad terram deiecerit, prostrato ceruices præciderit, vitæque priuauerit. Hinc imitetur sapiens concionator, qui cum mundi peccatiue Goliath indies configit, & ingentes illos colossos gestit prosternere; pedes inquam illorum non feriat, in brachia non collimet, sed caput & frontem petat, itaque victoriam consequetur.

Luc. 13.

Hinc pater ille familias, cum ficum nullis onustam fructibus, sed frondibus repletam cerneret, quamprimum eandem succidi fecit, & radicibus extirpari, *succidite ergo illam*, *Deut. 20.* Ipse quoque Dominus Israelitis olim præcepit, ut quamprimum ac terram Chanaan ingressi essent, arbores omnes infuigeras stirpibus excinderent. quin & in Exodo postquam omne cum gentibus commercium, nationumque idolis seruientium familiaritatem & cõubia veruisset, etiam lucos radicibus succidi, & aras sub umbris nemoribus constitutas euerti voluit, *sed & aras eorum destrue, confringe statuas, lucos quoque succide.* Allegorice hæc omnia denotabant, concionatores & præcones Euangelii Christi, veros illos cœli legatos, mundi huius regionem verbi diuini securi accinctos intrando, omnes inuites vitiorum propagines excindere & stirpibus euellere, imo ne radicem quidem vllam aut germen relinquere debere.

Exod. 34.

Tertia verbi Dei figura & imago est fermentum, cui ipse Redemptor similem doctrinam suam esse perhibuit: turbas enim docens aiebat, *Regum cœlorum simile est fermentum, quod acceptum multum abscondit in farina sativis tribus.* Scio, per fermentum hoc Iesum ipsum ad Hieron. & Ambrosio, Apostolos à Chrysostomo, charitatem ab Augustino intelligi: verum, eodem Hieronymo teste, de scripturarum quoque sanctarum intelligentia verboque diuino capi potest; atque per

Verbum Dei fermentum.

Luc. 13. in

Matth.

Lib. 1. q.

Euang.

qu. 12.

per tria illa farinae sata, tres animae nostrae potentiae, irascibilis, concupiscibilis & rationalis commode exponi: cum enim verbum Dei attente auditur, partem rationalem erudit & instruit, irascibilem compescit, & concupiscibilem refrenat, Ipsum fermentum est, quod patientiam auget, quod virtutes in anima producit, omnemque animam nostrae fortitudinem excitat & commouet: fermentum est, quod res spirituales animi que pietatem sapidam reddit, & gustum illius conciliat. Quod ipsum cum rex Israel degustasset, mox exclamat, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauorem ori meo.*

Psal. 118.

Verbum Dei gladio confertur. *Heb. 4.*

Hom. 3. in 11. Num. Epist. 58. lib. 20. de ciuit. ca. 21. li. 3. de virg.

Apoc. 1.

Lib. 20. de ciuit. cap. 21.

Can. 3.

Quarto sacra Dei doctrina & eloquia celestia gladio comparantur. Vnde ad Hebraeos Paulus doctor gentium: *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Quamvis autem locus hic de verbo increato; (vt quidem Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, Thomas Aquinas, Caietanus, aliique exponunt) intelligatur; plurimam tamen interpretes de verbo creato intelligendum putant, vt Origenes, Augustinus, Ambrosius, & sexcenti alii.

In rei huiusce veritatem, ex ore viri illius admirabilis, quem Apocalypseo in initio Iohannes describit, gladius anceps egredi legitur. *Et de ore eius gladius utraque parte acutus exibat* quem Primasius, Aretas, Pannonius, Richardus à S. Victore, & communis doctorum expositio, verbi diuini figuram esse credit. Anceps autem dicitur tribus de causis, primo propter vtrumque testamentum, quo haec doctrina comprehenditur, vt quidem Augustinus cenfer. Secundo, quod in veteri Testamento vitia & superfluitates carnales, in nouo autem animi & spiritus dedecora nauosque praescindat, quae opinio Richardi Victorini est. Tertio, quod qui ipsum despiciunt, tum in anima, tum in corpore castigabuntur. Atque haec communis Patrum sententia & expositio est.

In Canticis Canticorum, lectulus regius à sexaginta de fortissimis Israel, & binos quidem gladios, vnum in manu, alterum in vagina habentibus, custodiri ambirique dici-

tur. *Lectulus Salomonis sexaginta ambiit de fortissimis Israel, vniuersusque ensis super femur suum.* Theodoretus hoc de doctrina diuina interpretatur, notaque vnumquemque à scriptoribus his duobus instructum gladiis fuisse, adeo vt qui eum animo tum manib. verba diuina complent, vere fortissimi & maxime strenui dici debeant.

Quid? an non omnes haec comparationes egregiae videntur? ita profecto, at quae praesentis diei Euangelio sub parabolicis inuolucris continetur, omnes videtur excellere: in qua verbum Dei semini comparatur, quod ab agricola seminatum, partim secus viam, partim in loca saxosa, partim in spinetum, partim in terram bonam cecidit, quod ipsum fructum attulit ceterum. Euangelista Lucas eandem describit. *Exiit quis seminare semina suum, &c.* Hanc vt melius intelligatis, primo satorem describam, ac deinde semen examinabo, ac duobus hisce membris vniuersam parabolae huius medullam comprehendam.

Quod ad primum igitur spectat, sator hic, recte Hieronymo in Matthaeum, Chrysostomo homil. quadragesima quarta, Sancto Irenaeo lib. 4. contra haereses, ipse Christus est, qui ab omni aeternitate arcano Patris sine egressus in hunc mundum descendit, verbi sui sementem disseminaturus. Dicitur autem est, *Exiit seminare semen suum*, quod nullus vnquam existerit, suum qui semen seminavit, sed omnes quotquot haecenus seminaverunt, non nisi Christi Iesu semen disseminauerunt. Hinc Propheta, cum quid olim praenuntiare ac interminationem aliquam intentare vellent, hoc semper vsi sunt exordio: *Hae dicit Dominus.* Christus autem turbas docens, semper ait, *Ego autem dico vobis.*

Verum, antequam prouehamur longius, & sinus in ventum laxemus, notandum est, Christum docendo concionandoque parabolas vt plurimum adhibere solitum, Vnde Matthaeus Euangelista dixit, *Et sine parabola non loquebatur ad eos.* ita quippe iisdem affueuerat, vt nihil propemodum in rerum natura, vel in quotidiano hominum vsu reperire sit, è quo non comparationes similitudinesque, quibus mysteriorum suorum dignitatem

Luc. 8.

Seminans hic, Christus est.

Luc. 8.

Christus inter docendum parabolas miscebat.

ita no.

ira nobis cōmodius ob oculos poneret, elicerit. Dixit enim regnum cœlorum alias simile esse fermento, decem virginibus, grano sinapis, alias thesauro abscondito in agris, margaritæ pretiosæ, nuptijs regijs, interdum bono pastori, vineæ, Domino mercedem operarijs persoluenti, sagenæ missæ in mare, agro tritici & zizaniæ producenti; denique seminanti, vt in præsentî Euagelio, *Exiit qui seminat* & *seminare*.

Luc. 8.

Deus vult omnia nobis creata retū cœlestiū memoriā reficere.

Et reuera, si rem accuratius perspicere volumus, penitusq; intueri, inueniemus profecto, non alia Christum de causa tot parabolis similitudinibusque vsū, quam vt nos hac ratione cogeret quodammodo, rerum cœlestium perpetuo recordari, ac velut in tabula singula propemodum creata representanti, eam nobis imaginem subijceret. Vult nimirum, pastorem ouium tuarū, semen agri tui, uas vineæ, nuptias quas celebras, thesauros quos asseruas, annulorum tuorum gemmas & margaritas, retia quibus piscaris, seruatorū rationes, omnia deniq; quæ hic agis & moliris, cœli tibi memoriā reficere, mysteriaq; diuina edocere.

Industria ad alphabeti litteras edocēdas. Simile.

In quo imitari videtur cordatum illum & sapiētem regem, cuius historiæ veteres meminere; hic cum filium prima elementorum nomina & alphabetum docere conaretur, & ille obtusior ingenij ipsū memoria tenere nō posset, hac industria vsus est. Alphabetum ei tradidit, nō in charta exaratum, nullisq; characterib. expressum, sed tot ei pueros pedissequos addidit, quot alphabetū litteras contineret; quibus ipsa elementorum nomina imposuit, primo Α, secundo Β, & sic ceteris cetera. Atq; ita factum est, vt puer hic cum alijs agens colluderetque, & nomine vnumquemq; suo quod pater indiderat, cōpellens elementorum nomina quamprimū perciperit. Eodem profus modo Deus cum hominibus egisse censendus; atq; hoc ipsum erat, quod iam ab initio filio Pater æternus faciēdum præceperat, vt nimirum cœlos super terram conderet; ait enim per Isaiam, *Fili mi, ego posui verba mea, vt cum illis plantes cœlos in terra*. Cœlos autem in terra plantare nihil est aliud, quam omnibus è rebus comparationes & similitudines elicere, quo nobis, q

Isai. 51.

Tom. 1. Pars Hyemalis.

hic in terra viuimus, perfecta rerum cœlestiū notitia inferatur. Ipsum est dulcedo illa, mel & lac, illud quod Messia temporibus colles distillaturos prædixerant Prophetæ: *Stilla- bunt montes dulcedinem, & colles lac & mel. i. Amos. 9. psūm deniq; denotabunt parabolæ illæ, quas toties Dominus produxit, & præfertim ipsa Euangelij hodierni.*

Luc. 8.

Exiit qui seminat. Dixi, & iterum dico, Auditores, fatorem hunc Christum Redemptorem esse, illum ipsum qui cœlis semel exiit, quo in terram delaberetur, humanamq; naturam indueret; qui deinde sacratissimo Virginis vtero exiit, doctrinam Euangelicam disseminaturus. Qui verus seminans & agricola est, cum per Prophetam ipse de se locutus sit, *Ego sum colonus, & seminator*. Et sane omnes seminantis proprietates requisitaque peroptime in ipsum quadrant. Seminator enim, cum agros cōserit, quamuis opulentus sit, multumq; agri possideat; humilem & abstinentem vestem assumit, nullumq; fastū præfert; ita & Iesus Christus in hoc mundo euāgelizaturus, doctrinamq; disseminaturus, quæuis omnia, vt ipse creator, possideret, omniumq; rex esset; vili humanitatis nostræ sacco, qui deinde ipso passionis die conscissus & dilaceratus fuit, sese induit. Colonus adhuc, boues quib. arua profcindat adhibet: Christus Apostolus, qui instar valentium & tororum bouum, præfractorum & obstinatorū glebas effrangerent, & sementem Euangelij mundi noualibus concrederent, sibi delegit, Ideo etiam *exiit qui seminat seminare semen suum, &c.*

Aduertite hic etiam, Deum mysteria non sublimi & difficili quadam ratione proponere; nec comparationibus & similitudinibus à motu cœlorum, planetarum influxu, communi maris reciproco meatu, origine fontium, modo exventorum causationibus, solis defectu, nec ab mutationibus elementorum petitis, quæ ipsis etiam Philosophis ad disquirēdum difficilia sunt, sed à rebus obuijs, domesticis, vulgaribus, & captui nostro accommodatis, vt solitū, quo ita ab omni hominum genere intelligantur. Atque hinc in primis singularis quædam Dei bonitas & benignitas erui potest, qua nullam vnquam maiorem erga homi-

Aa homi-

Rom. 3.

homines exhibuit, quod diuinam maiestatem hic exuesit, & cœlestem illam, angelicam, sublimem, & philosophicam, vt ita dicam, loquendi rationem; quo nostro captui sese accommodaret, & nostrum dicendi characterem stilumque effingeret, seposuerit. Quod ipsam veterum quidam Prophetarum demiratus ait, *In terra visus est magnus ille Deus qui cum angelis agere & versari consuevit, & cum hominibus conuersatus est, eorum lingua locutus, eorum phrasim imitatus, ad eorum se stilum conformans.*

Cant. 3.

Atque hæc vnica est ratio, cur amans illa sponsa sponsum suum in domum maternam abducere tantopere desiderarit, quo nimirum sermone vulgari, & communi loquendi ratione & lingua, vt dicitur, materna vti cum cogeret; *Tenuit eum, inquit, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae, & in cubiculum generis mei.* Non putabat scilicet amans illa maiorem sibi accidere felicitatem posse, quam si sponsum inter cognatos & notos constitutus, illorum se vocibus & sermonibus accommodaret.

Simile.

At non enim magnum humanitatis benevolentiamque argumentum foret, si rex cum arcana sua consilia rustico cuidam communicare vellet, regium loquendi more seponens, vulgare & plebeium assumeret, aulamque phrasem cum rustica loquendi ratione, quo ille melius & commodius, eadem intelligeret, commutaret? Idem omnino, Deus Opt. Maxim. interdum egit. Moyses n. dum Israelitis, quæ à Domino in deserto & alibi receperant beneficia, vt manna imbrem, vestium cōseruationem, idque quadraginta annorum spatium, coturnicum epulam, viperarum morsus depulso; in memoriam reduceret; tandem velut omnium maximum, & ob quod maximas ei agere deberet gratias, subnectit, *V. recogites in corde tuo, qui sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudit te, sermone tibi vsitato loquendo, teque suum idioma edocedo.*

Daut. 8.

III.
Concionatores
nimium
sublimia
edocere
non debent,

Hinc efficitur, concionatores euangelicos, exemplo Domini sui, non nimium sublimia, aut a communi hominum captu remota tractare, vel pro concione proponere debere, quæ nullus auditorum intelligat. In quo homines tamen plerique delinquant: quod prof-

et intolerabile est, dum honoris proprii quæ salutis animarum studiosiores sunt, & seipsum potius iactant, quam auditores ad bonam frugem inuitant: similes ficui illi Evangelicæ, quæ latas quidem & patulas proferebat, quibus seipsum ostentabat, frondes nullum tamen, quo domino satisfaceret, fructum.

Minorum Patriarcha Franciscus Affias, cum fratribus concionandi normam præscriberet, edoceretque; qua alios ratione edoceret, ait, verba vestra pudica sint & honesta, modestiam spirantia & zelum, auditorum salutem incumbentia, vitiorum regnum destructoria, ad virtutem excitantia; illis tartarea supplicia interminando, his autem sempiternam gloriam, idque quod compendiosissime, promittendo. Imitando nimirum illum, de quo in Apocal. cuius ex ore gladius anceps egrediebatur, & manus stellas præferebant. Gladius quæ verbi Dei vtrimque incidat oportet, vitia quidem eliminando, virtutes autem interendo; & concionator Christianus anima in ore gerat, quo impios verbi sui & doctrine acie percutiat, stellas vero manu, quo iustis beatitudinem & gloriam cœlestem promittat.

Apo. 1.

Dominus hic alludit, cum Isaiam Prophetam, qui sublimem incarnationis diuinæ mysterium describeret, ad se vocans ait, *Sumes librum quendam, & scribes in eo stylo hominis.* Hominis autem stylo, & calamo scribere aliud non est, quam alta & diuina fidei nostræ mysteria modo quodam vulgari, noto, hominumque captui accommodato pertractare, ita vt omnes quam facillime singula intelligant.

Isa. 8.

Idem Dominus, cum in impium Balthasarum Regem Babylonis digno flagello aduertere constitisset, & turorem suum denuntiare, & tunc iniquitates quas commiserat, tum supplicia quæ ob easdem promeritus esset, declarare, non nisi hominis manum, quæ eadem panem inscriberet; adhibere voluit. *in eadem hora apparuerunt digiti, &c.* Cur humanam hic dexteram adhibere Deum voluisse existimatis? quidem, aliis rationibus relictis non aliam fuisse causam credo, quam vt melius barbarus ille scripturam intelligeret; & quoniam propter solum hominem scriptura hæc exarata erat, ideo etiam hominis dextram, calamo, & stylo eandem describi voluit.

Dan. 5.

In h. q.

Exod. 38. In rei huius signum Moſi, vt bene ſanctus obſeruaui Gregorius, præcepit, vt præter tot fontes, tubos, ſiphões & canales aureos, etiã ænea aliquot vaſa, diuerſæ magnitudinis & formæ, in ſacrificio rum vſum concinnaret. Vult enim prædicatores ſuos, non ſublimia modo & alta populo myſteria, curioſaque diſquiſitiones, verum etiam minora, & tenuiora, quæ animarum ſalutem, & ſpiritus emolumentum potiſſimum concernunt, pro concione proponere.

Curioſitates hon- ſtas & proficuas pro- ponere interdum licet. lud. 10. Non quod penitus hic notabiles damnare curioſitates magnamque tum doctrinam, cum vtilitatem continentes, velim. ſi enim concionator non ad ſui ipſius, ſed gloriã animarum que ſalutem eas depromit; dubitandum non eſt, quin omnis concionum illius ornatus, & decoramentum Deo ſit futurum quam gratiſſimum. Iudith enim dũ ſe gemmis & margaritis ornauit, dum crinem calamitro diſcriminauit, dum veſtes cocco & byſſo diuites induit, quo Holoferni gratior appareret, nulla ratione peccauit; præſertim cum id non vanitatis cauſa, ſed Spiritus ſancti inſtinctu, feciſſe eã facta Scriptura dicat. Ad hunc etiam modũ Chriſtus magnus ille concionator cælo delapſus, doctrinam hanc diuinam edocens, inſtar ſatoris eandem diſſeminat, & vulgaribus paraboliſ exponit, quid enim ſeminante & ſeminetritius aut magis obuium haberi poteſt?

Luc. 12. Concionatorem igitur, Chriſti exemplo familiaris cum auditoribus agere oportet, eorumque captui conceptus ſuos adaptare; ſi enim prouecti ſint, & multa rerum cognitione polleat, ſublimia proponat; ſin minus, ſerpat & vulgaria conſectetur. Atque hoc modo verba illa Lucæ intelligenda ſunt: *Quis putas, eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illi in tempore tritici menſuram?* Fidelis ille, & œconomus ſeruus, quem familiæ ſuæ Dominus præfecit, vt tempore tritici menſuram det, concionator Euangelicus eſt, per menſuram aut hanc tritici verus verbi diuini annuntiandi modus deſignatur: ipſum enim dum promulgatur, menſura & mediocritas adhibenda, ſublimibus ſcilicet & doctis, alta & erudita, plebeiis autem & imperitoribus obuia

& communia proferenda ſunt. Modus enim & menſura tam hic quam omnibus in rebus, ſunt neceſſaria.

Modum hunc ſeruare didicerat Paulus cum ad Corinthios ſcriberet, *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus, tamquam paruulũ in Chriſto lac vobis potum dedi, nõ eſcam.* Prudentis concionatoris eſt idiplum imitari, indoctioribus ſimplicia, doctioribus autem magisque verſatis altiora & ſolidiora elargiri. Hinc etiam Moſes, cum facie inſtar ſolis reſplendente monte deſcenderet, legis tabulas populo prælecturus, vultum velauit, ac velamine emicantem ſplendorẽ cohibuit, ne forte populus perterrefactus ab eo fugeret. Vt vero populariter & ſimpliciter cum iis agat; eorum ſe moribus agendi; rationi accommodat. Audiamus quid hanc in rem dicat Papa Gregorius, *Coruſcantem coram populo faciem velat, que ſentima claritatis arcana non reuelat.*

Ioanni quoque in Apocal. Dominus præcepit, vt templum, altare, & quotquot in ipſo adorarent, metiretur: quod mandatum Richardus à S. Victore ita expoſuit, *Hoc templũ ſiue altare metiri, præcipitur, quiſquis ad iũs, ſine contemplatiuũ verbum eruditionis miniſtrare ſecundum vtrorumque, capacitatem admonetur.* Concionator itaque hoc exſecutus priuſquam ad dicendum ſe accingat, templum & altare & adorantes circa ipſum, diligenter dimetiatur neceſſe eſt, id eſt auditorum conditionẽ, qualitatem, ingenium, mores, virtutes denique & vitia perſpecta ad vnguem habeat.

Totum igitur hunc tractatum concluðtem audiamus Gregorium, dum ait, *Pro qualitate igitur audientium, formari debet ſermo doctorum.* Nam vt citharæduſ, inquit, non eodem cordas omnes pulſat modo, ita & concionatores non vna eademque cum omni hominum genere agere ratione par eſt, ſed cordatum illum agricolam, qui exiit ſeminare ſemen ſuum, imitari.

Chriſtus ſcilicet cœleſti habitaculo & ipſo Patris ſinu egreſſus eſt, quo ſemen ſuum hic ſeminaret; vt præco Chriſtianus videat & diſcat ſimul, vnde eum exire neceſſe ſit, cum ad concionandum ſe accingit: à Deo nimirũ à pretioſis filii eius vulneribus, ſeruore Spi-

2. Cor. 12.

Isai. 6.

IV.

Luc. 8. Allegoria.

Christus femini comparatur.

Ioan. 12.

Luc. 9.

Leuit. 19.

ritus sancti; egrediatur, inquam, oratione, animarum zelo, rerumque diuinarum contemplatione. Paulus Gethum Doctor, & electionis vas, tertio celo, in quo arcana verba & recondita mysteria, quae non licet homini proloqui, audierat, egressus est; Isaias Propheta os Seraphin calculo, quem de altari accepit mundauit, priusquam uaticinaretur: Apostoli quoque non nisi post acceptum Spiritum paraclitum docere Euangelium incepere.

Exit qui seminat. Ut allegorice hoc exponatur, uideretur hic ipse Deus Pater, iustitiae domo, cui ob peccatum Adae inclusus tenebatur, egredi & in patentem misericordiae campum prodire, semen suum, id est, Christum Dominum, in sacratissimo Deiparae uirginis utero seminaturus. Porro diuinum hoc semen primo secus uiam cecidit, ipsa uidelicet natiuitatis Dominicae die, neque enim in palatio, non in domo aliqua, sed in stabulo communi, haud procul a regia sito, natus est. Deinde cum hominibus conuersatus, & turbas docens, in saxa uisus est cecidisse, cum sepius eum Iudaei lapidibus obruere conati sunt, haud multo post in spinas & thirnos incidit, amarissimam nimirum passionis tempore, quando spinea sero redimirus, omnium ludibrii factus est. Denique in terram bonam cecidit, quando in sepulchro positus, rediuiuus & gloriosus resurrexit. *Quotum fructum fecit centuplum.* resuscitatus enim patres limbo detentos eduxit, portas paradisi referauit, inferos uentibus ferreis occlusit, peccatorum remissionem obtinuit, mundumque uniuersum redemit, et ipsa declarans quod in Euangelio olim ipse docuerat, dicens: *Nisi granum frumentum, quod ipse Christus est, cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet:* nisi enim ipse mortem oppetisset nullus praeter ipsum salutem fuisset consecutus. *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert, &c.* quod est mundi totius redemptione satis euidenter colligi potest. iam uero litteralem sensum disquiramus.

Exit qui seminat seminare semen suum, &c. Qui seminat non nisi manu seminat: ita uerbi Dei predicator manu potissimum serere debet, id est, operibus sanctis & piis. Hinc in Leuitico Dominus diuerso semine agros conseri ueruit. Is porro diuersum semen sa-

minare dicendus est, qui aliud uerbis, aliud operibus seminat, operibus quidem semen prauum, uerbis uero & concionibus bonum. Quae de re Basil. Magnus agens, dicere solebat, concinatoris uel est duplici contextu esse debere materia, operibus uidelicet ac uerbis.

Deinde sator hic exit, seminaturus, & in apertam se prodit. *Exit qui seminat*, de die inquam & publice, qui enim clanculum & in abscondito concionatur, merito suspicionis notam incurrit; adeo ut metuendum sit, ne haereses doceat, prauaque dogmata disseminet. Hinc de sapientia sapiens locutus ait, *Sapientia foris praedicat, in latibus dicit uocem suam.* Atque idcirco Christus, dum pseudoprophetae & mendacij a Iudaeis, impostricisque doctrinae insimularetur, hanc a se calumniam dimouens, non aliud in sui purgationem, & ad innocentiam testandam argumentum protulit, quam se palam omnibus semper docuisse, in synagogis, uis publicis, & compitis, nulla uero inquam conciliabula occulta coegisse, aut latebras doctrinae spargendae ergo quesuisse. *Ego semper palam locutus sum, & in oculis locutus sum uobis.* Quicumque igitur hoc modo Dei uerbum non disseminat, bonus dici sator nequit, sed *amicus hominis*: & sane inimicus ille homo de quo in Euangelio, non nisi nocte, tenebris denudissimis cuncta occupantibus, zizania sparasse legitur, *cum dormirent homines, uenit inimicus homo, &c.*

Sator autem hic exire uideretur, ut multos agri Ecclesiastici cultores confundat eorumque inertiam & recordiam coarguat, qui saepe quidem exeunt, non seminandi, sed metendi, & in horreum colligendi gratia; quibus merito obici illud Matthaei queat, *Metu ubi non seminasti.* Et est profecto deplorandum, Pastores & Praesules Ecclesiae, tot opes in Ecclesia agro colligere, id est, tot uillas & domos coemere, quem tamen nunquam aliqua praedicationis semete excoluere. Nemo autem colligere carnalia poterit, qui spiritalia prius non seminarit. Unde Apostolus, *Si nos uobis spiritalia seminamus, magnum est si carnalia uestrametamus:* Erubescant igitur & pudore confundantur magni illi doctores, multa rerum cognitione & scientia pollentes, qui ex aliorum quidem opibus quales sunt Ecclesiastica, uiuere

in Psal.

Concionator publice per concionetur Prou. 1.

Ioan. 18.

Matth. 13.

In uentibus in doctores, qui concionantur. Matth. 13.

1. Cor. 9.

viuere volunt; alijs vero quæ à Deo accepere, communicare nolunt, nunquam ad prædicandum, scribendum, disputandum, aut alia scientiæ documenta in Ecclesia edenda egredientes. At hic *exiit seminare semen suum.*

Luc. 8. Seminatoris titulus maior quæ creatoris.

Quamuis autem plurima Deus nactus sit nomina, quæ ex actionibus ei variis indita sint; hoc tamen factoris, velut pulcherrimum & maxime eximium, sibi præ ceteris delegit. Quod qui penitus examinare, & accuratius inquirere voluerit, inueniet profecto, nomen & opus seminanti, lōge dignius esse, & eminentius quam creatis; quod ipsa gratia nobilior sit magisque emineat quam natura. Deus siquidem, in quantū creator, ipsa elementa & totius vniuersi machinam condidit, in quantum vero sator, verbum suum, gratias, sacramenta, salutem nostram, delictorūq; nostrorum expiationem, seminauit. *Exiit qui seminat.*

Luc. 8.

Et qui ipse solus seminandi onus opusque suscepisset, ceterosque omnes ab eodem excluderet; dicitur, *qui seminat*: quamuis enim mundus, caro & diabolus interdum seminēt, verū tamen seminatores nō sunt, sed seminis deprauatores. Solus porro Christus Iesus seminat, qui sementem proprii etiam voluit sanguinis imbribus irrigare, æquum quippe erat, vt semen cœlestē & diuinum cœlesti etiam pluuiā irrigaretur, itaq; fructum ferret.

Ibidem.

Multi prædicatores, nim plurimi qui mundi se alienū, id est, diaboli, carnis, mundi & herem seminos seminare seminant. Atque ideo etiam olim non Dei, verū, ne diuersum vni agro semen concrederetur. Neque enim aliud semen, quā Dei, seminandum est, nam, vt bene monuit Sapiens, *Adulterina plantationes non dabunt radices altas, nec spuria stirpes propagine proferent longius.*

Christus ter in Euangelio legitur clamasse. *Ioan. 7.*

At nondum hic sator quiescit, sed sementi iaciens clāma alta voce, *qui habet aures audiendi audiat.* Cæterum, tertio Christus clamasse in vniuersā Euāgelii serie legitur. Primo hoc loco, secundo; dū ait, *qui sinit, veniat ad me & bibat.* tertio cum in crucis ara expirans animam Deo Patri reddidit. Moriēdo quidem clamās diabolū perterruit & deu-

cit; cum dixit, *qui sinit, &c.* de Spiritu S locus est, quem credentes recepturi erant; iam vero omnes ad verbi diuini auditū attentionemque inuitat, Ioannem Baptistam pœnitentiam in desertis Palestine prædicādo clamasse Euangelista perhibet. *Ego vox clamantis in deserto, & ecce hodie vocis illius auctor & magister, ipse inquam Dei filius alta voce in-clamat; Qui habet aures audiendi, audiat.*

Ioan. 1.

Matt. 13.

V.

Verbum Dei auditu dignū est, & auditū plurimum prodest.

Matt. 17.

Ezech. 37.

Ceterum in docendo hic exclamat, vt nos omnes edoceat, quā sit aures verbo Dei adhibere; concionatoresque diligenter auscultare, necessarium; suavit hoc olim ipse Pater æternus, cum de filio diceret, *ipsum audire, filium meum, quem vobis in doctorem misi, cuius verba spiritus & vita sunt.* Bene autem Dei verbum vitæ nomine appellatur, quod vitam afferat, animasq; scelerum sepulchris cōditas egredi cogat; ac mortuas penitus resuscitet. Quod & in Ezechiele aperte patet, cum ad vocem Dei sparsa per agrū cadauera, & ossa arida, putida, fœtida, resurgūt, & redanimantur. Quin & Apostolorū princeps Petrus cū Christi magistri sui potentia, verborum efficaciam, spiritus feruorem effert, ait: *Verba vitæ habes*, id est, mortuos spiritu ad vitam loquendo reuocas. Ideoque *qui habet aures audiendi, audiat.*

Matt. 12.

Ioan. 6.

Vult, quotquot aures habent, diligenter auscultare; multi enim aures habēt non quidem verbo Dei, sed mūdi tumultib. & turbis patētes, quo nihil tamen Deo displicere magis potest. In cuius rei signū, olim sibi victimam voto promissam, offerri noluit caudā & auribus truncam. Glossa autem linearis hūc cauda carentem esse putat, qui nouissimorū vix vnquam recordatur. Nam vt cauda animalis extremum est; ita mors, iudiciū, tartarus & cœlestis gloria vltimi vitæ nostræ al- phabeti characteres sunt. Is autē qui nouissima vix vnquam ob oculos habet, auribus carente merito dici potest, vt pote cui omnis de morte iudicioque extremo sermo grauis sit ac molestus. Huiusmodi autem sibi in victimam immolari aut offerri verat Deus.

Nolebat olim sibi Deo victimas auribus & cauda truncas immolari. *Leuit. 22.*

Deplorandum est autē; peccatores, aures quidem à Deo donatos, verbum Dei audire de- velle. An nō enim miserimū est, surdos illos, & ta-

Peccatores verbū Dei non audire de- plorandū & ta- est.

Gen. 10.

& tamen auribus, quæ Deus, Sancti, Prophetæ omnes docent & inculcant, audire nolle. Leth de Sodomæ excidio euectioneque; à Deo certior factus generos suos mouit, vrbe vt egredierentur, *Surgite & egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem istam*: at illi ludere cum putabant, cum imminentem ruinã prænuntiaret, & iocari, cum de sulphureo imbre ageret interitumque; vrbs, & ciuiũ præmoneret. Ad eundem modum & plerique hodie faciunt, eũ enim concionatores de morte illis aut iudicio, & æterna damnatione verba faciunt, fabulas aniles narrari sibi credũt, hic surdastri sunt, eũ in omnibus mundi ineptiis auritissimi existant: aures quidem fabulis, vanitatibus, nugisq; patens; cœlestibus autem mysteriis & verbis Dei oclusæ sunt.

Demosth. factum laudabile.

Huc optime quadrat quod de Oratorum Principe Demosthene referunt historici. hic enim cum quadam die in tribunali de rebus grauib; magnique momenti differeret, videretq; causam populi auribus non vsq; adeo gratam accidere, sed plerosque alio mentem intendere; abrupto orationis filo, non illepiã narrare coepit, atq; ita oēs aures mox arrigere coepere. Conduxerat quidam asinũ æstiuo tempore, Athenis Megaras profecturus, at dum circa meridiem æstus inualeceret, sub vmbra asini solẽ declinauit: quo viso indignatus agaso elocasse se asinum dicebat, nõ autem vmbra, alter vero e contra se asinũ conducendo, vmbra quoq; illius conduxisse assererat. Vnde non modica inter vtrũq; contentio & lis nata. Hoc dicto Demosthen. apologum abrumpens; nec ad finem prosequens, e iudicum se conspectu subtraixit. Populus vero finem eũctus scire audis, orauit, vt controuersiam illam vmbrailem absolueret. Quo audito ineptiam eorum co arguens ait, *De vmbra asini audire cupiũs, de salute Græcia differentem audire detrectatis*. An non hoc ipsum hodie iure de plerisque Christianorum dici poterit, qui rebus & ineptiis mundanis audiendis maximopere delectantur: concionatorem vero de animæ salute agentem, & ad virtutis studium quã doctissime adhortantem, audire detrectent?

Dauid rex cum Deo ob accepta beneficia gratias ageret, inter cætera summi beneficii

loco habet, quod aures eloquiis diuinis patientes acceperit, *Aures autem in perfec. st. m. h.* id est, vt quidem Hieronymus a fontib; Hebraicis interpretatur, *fadisti* quod perinde est ac si dixisset, In perpetuum me tibi seruũ elegisti: moris quippe apud Hebræos erat, vt in Exodo patet, aures seruo perpetuo perforare. Vt autem Euangelio veterem legem adaptem, apertissimum & euidentissimum veri serui Dei altissimi symbolum esse cenfeo, aures ad diuina eloquia doctrinamq; Euangelicam patentes habere: oclusas vero & obsecratas, mancipium diaboli arguere & mundi. Sed filum hoc abrumpamus, & aliam telam ordiamur: satis de seminãte actum est, de semine iam dicendum restat.

Postquam igitur sedulus ille sator semen feminasset, aliud, eheu! secus viam cecidit, quod & a transeũtib; proritum est, & a volucris direptum: aliud in rupes & lapides, quod natum ob humoris defectũ quamprimum exaruit: aliud etiam vepreta & senticeta, a quibus suffocatuẽ euauit. aliud denique in terram bonã, & fructum protulit amplissimum. Quatuor locis semen hoc dispersum est, & non nisi vno fructum protulit. Vt autem allegorice quatuor hæc exponam, dico, primo Philosophos veteres commode intelligi; qui in magna illa & regia naturæ via aliquã Dei cognitionem habuero: per rupes a. & saxa, quidẽ obstinatos illos & durã ceruicis Iudæos intelligi vetat, quib; lex in duabus lapideis tabulis tradita legitur, quiq; in circũcisione cultello lapideo circumcidebantur: Per spinas & vepres, Saracenos, Turcas, Mahumeranos, per terram bonã vero Christianos designari volo. Qui secus viam, sunt pigri & vecordes; saxosi & scopolosi, obstinati sunt, & inconuertibiles: spinosi, diuites: & electi, fertiles.

Antequã vero progrediamur vterius, nõ possum quin imprudentiam aut potius profusionem satoris huius demirer, quod semen suum tum in viam, tum in saxa & silices, tum deniq; in spineta, & dumeta iecerit; quodq; nõ nisi quarta pars in terrã feracem ceciderit. Quod tamen consulto & variis obrationes factũ crediderim. Primo ad nostram instructionem: vt, ad illius nimirum imitationem, omnium

Psal. 59.

Exod. 21.

Serui Dei

signũ est

habere

aures ver

bo diuin

patentes

Explicat

tur qua

druplex

hæc sem

nis reata

Cur sator

hic in sp

nas & se

cus viam

semen su

iecerit.

Rem. 1.

omnium hominū generi doctrinā illius se-
mentem cōmunicemus. Vnde Paulus, *Gra-
ciū ac barbaris, sapientibus & insipientibus de-
bitor sum.* Secunda ad concionatorum cōso-
lationē, ne animo deiciantur, aut secius ac
par est ferant, si semen iactum in plurimorū
agro nō germinet, sed in nihilū euanescat: eū
id ipsum Christo Redemptori nostro q̄ fer-
uentissime docētī in plurimis euenisse certū
sit: nam, vt bene scribit Augustinus, *Magna
consolatio mēbris ex capite.* Tertio, quod is, cu-
ius semen est, infrugiferam terram in fertilē
commutare facili negotio queat, quod Iob
Propheta testatur: *Quis potest facere mundum
de immūdo conceptum semine, nisi tu qui solus es?*

Iob 14.

His ita constitutis, dico per terram hanc
viā vicinam, in qua semen à viatoribus con-
culcatur, & ab auibus absumitur, publicos
peccatores designari, qui verbum Dei vili-
pendunt, ipsumq; pessumdari sinunt. Hæ sūt
viæ recta ad infernalem voraginem deducē-
tes, per quas ferales & nefandæ aues semper
volitant, id est harpyiæ illæ ferales & tartaræ
quæ omnia deuorant & absumunt. Quamq̄
per terram hanc intelligi etiam queant illi,
qui varias peccandi occasiones habent hæ nā-
que certissimæ ad peccatū viæ: at viæ decli-
nandæ: variisq; periculis obnoxie. Cum Dina
filia Iacob, & duodecim patriarcharum so-
ror, domo paterna, vrbis Sichem videndæ,
animiq; relaxandi ergo egressa esset, deflora-
ta est, solalq; se repturam feminas rata, vi-
ros et reperit, à quib. rapta immunito pudore
redijt, excidijq; Sichimitarū causa exstii-
tit. Multū igitur ad peccatū occasiones
valent, periculūq; sunt stratrices.

Gen 4.

Exod. 10.

Deus cum legis tabulas Mōsi daret, & mōs
circumquaq; tonitru & fulgure coruscaret,
populo præcepit ne monti propius accede-
ret, ni graui perire morte vellet, repēteq; te-
meritatis pœnas dare: *Qui tetigerit mō, est morte-
torietus.* Montem vel solium tāgi præcipit,
& primo pede calcari: sciebat siquidem eos,
cum semel montem tetigissent, eundem &
ascensuros. Peccadi igitur occasiones fugiē-
dæ sunt: semen enim secus viam prolaptum
quamprimum exaruit.

VI.

Luc. 8.

Cred. i. secus viam. Chrysostomus de negli-
gentibus hoc & defidiosis exponit, *Qui via*

*significantur, hi negligentes sunt atq; otiosi: qui Hom. 45. in
nimirum verbum Dei pedib. proterunt, vi-
lipēdunt, contemnunt, aut saltem negligē-
ter admodū audiunt. Quos Vriā duci cenfeo
esse perfimiles: hic enim cum litteras à Rege 2 Reg. 17.
ad Ioab deferēdas accepisset, putabat se per
easdem ad præfecturā castrensem aut tribu-
natum promouendū: sed eheu! sui ipsius in-
teritus exitiq; nuntius venit. Qui n. multas
audiere conciones: sed negligenter, nec ad
earum præscriptum, vitam instituunt, ceteris
quæ fecisse se putabunt bona opera, eas-
dem annumerabunt, magnaq; in die iudicij
mercede se donandos idcirco credent: at, cū
Deus æquissimus ipse Iudex litteras expli-
cuerit, legeritq; & viderit, nihil illos ad con-
cionum auditarum præscriptū fecisse: morti
illos ac supplicij sempiternis adiudicabit
quod iuxta viam commorantes semen acce-
ptum, a volucribus absumi sinant.*

Secus viam. Sunt qui hic vitia carnis lasci-
uamq; voluptatem intelligant. Nam vti q̄
viæ adhæret, in omnium oculos occurrit, ita
qui illicitis voluptatib. dant operam & deli-
cuis se carnalibus inquinant, omnibus noti-
sunt, occultis quidem & furtiuis se amorib.
teneri putant, sed tandem etiam pueris noti-
fiunt. Amor quidē cœtus effingitur, sed nu-
dus est: vt alios quidem videre nequeat, sed
ab alijs e contra videatur ipse. Nam furtiuā
Venerem confectans, & adulterio thorum
temerans, latere se putat: & tamē verba ipsa
gestus, motus, vitæ que ratio impudicitiam
lasciuamq; illius coarguunt. Vitia hæc viæ
proxima dicuntur q̄ publica sint & occultari
difficuler queant. *Beati igitur quorum recta
sunt peccata.*

Luc. 8.

Luxuria &
vitia car-
nis per
terrā hanc
viæ proxi-
mam de-
notantur.

Psal. 37.

Gen. 38.

Thamar, quæ incestuoso foeteri sui Iudæ
conubitu se prostituit, in biuijs viarumq;
capitib. viatores illicio dementare & ad cō-
cubitum pellicere gestiēs sedisse legitur, ad-
eo vt Iudas cum meretrice triobolari se, non
vero cum nuru, rem habuisse crederet. Pro-
posito hoc peroptime quadrat: vera n. hic
luxuriæ imago proponitur, peccati inquam,
quod semper secus viam hæret, q̄ viatores
in exitum trahit, quod omnib. notissimum
est, multaq; alia in populo scādala & offen-
dícula creat. Quin & alia quadam ratione
pee-

Isa. 51.

peccatum hoc via proximum dicitur, quod incestuosus, adulter & fornicator multis alijs vitijs pateant. Quod Isaias Propheta cui-dam laiciuo exprobrauit dicens, *Posuisti cor-pus tuum & cornu & desiderium sicut viam, unde transeunt oēs.* Superb. quidem cor suum vanitari soli referat, ceteris vitijs penitus oc-cludit; avarus cupiditati animū patere vult, non vero alijs peccatis: at luxuriosus & adul-ter omnib. se vitijs prostituit, cunctorumq; se scelorum propudiū constituit. Instar Lu-ciferi enim superbit & turgēt: in vanitatibus prodigus & effusus est, nulla in verbis illius subest veritas, in actionibus subdolos & va-fer, in promissis fallax & vulpinus est: sibi ipsi iniudet, in homicidijs deniq; audax & p̄ceps.

Adulteri cor omni-bus vitijs patescit.

Ecccl. 9.

Ecclesiasticus vero magis ad vitium adhuc fornicarium depingit: *Omnis mulier qua est fornicaria, quasi steruus in via, ab omnib. prater-euntibus concubabitur.* Cum igitur vitium hoc, per terram hanc viae regie vicinam desi-gnetur; certū est, si in animam carnalem se-men verbi Dei iaciatur, si concionibus varijs ad bonam frugem excitetur; ipsum concu-candum, correptiones amicas vilipendēdas, pr̄dicationes illudendas, verba admonito-ria exhibilanda, sannis excipiendā, statimq; obliuiscendum illud. Iuuenis sum, indulgendū est aetati, cum ad senium peruenero, vitam in melius commutabo, fragilis sum: sed & tandē, huiusmodi vitijs deditos, in h̄eresim prolabi, dicendo, non esse tantum, quantum scriptura quidem deseribit, peccatum; sed nō nisi facinus quoddam herōicum & aulam sapiens

Os. 7.

De quibus Ossee Propheta loquens ait, *Extranei comederunt fortitudinem eius, illi igno-rauerunt.* fortitudo h̄ec doctrina Euangelica est, quae rite intellecta vires animae, quo in virtutib. crescat, suppedirat. tunc poro eam extranei comedere, censentur, quando tota vi d̄amones impediunt, ne in anima radices agat, & fructus quib. nutriatur pro-ferat. Atque hoc dicere voluit Euangelista, dum ait semen ab auibus deuoratum fuisse. d̄amones quippe sunt funestae & ferales illae harpyiae; quod certissimū interitus damna-tionisq; perpetuae argumentum est.

Gen. 40.

Pistor Pharaonis carcere conclusus secun-

dum quietem somnium eum vidisse se dice-ret, videlicet, tria se farinae canistra, & in sum-mo oēs cibos qui pistoria arte parari queāt, quos aues comederent, gestasse: Ioseph som-nij interpret ait, post tridū eum in ligno suspendendū, & a volucrib. caeli comedendū. Vt allegorice hoc in meum propositum detorqueam, certissimum est, te fornicator, si egregiam illam verbi Dei farinae, & quid-quid ad ipsum spectat, in capite solummodo gestes, caq; dentib. non molas aut rumines, id est cogitatione non excoquas, sed auibus illa in praedam des, in inferorum te caecis. suspensio periturum, morteq; perpetua afficiēdum. Nam cum miser ille panes suos ab auib. comedi somnasset, Ioseph augur hinc ruinam illius & interitum auguratus est: ad eundem modū, certissimū aeternae damna-tionis argumentum esse censeo, si quando verbum Dei, animatum inquam alimentū, d̄amones ē corde velut praedam, diripiunt.

Iudic. 6.

Israelitae cum terram promissionis coluit-sent, seminaq; eidem concedidissent; ecce, subito Madianitae, Amalecitrae, alijque in ori-ente populi per circuitum messem adhuc in herba perdidere, pessum dedere, & magnam circumquaq; stragem edidere. Ita dū Eccle-siae sementis est, id est, dum cōciones publi-ce fiunt; tunc grassari d̄amones incipiunt, tunc funestae illae aues circumuolitare, tunc Madianitae, Amalecitrae, & impij ad perden-dum, destruendum, seminaq; ē cordibus & Ecclesiae agris euellenda, egredi. Itaq; fit, vt laiciui & voluptuarij, verbi Dei iacturam fa-ciant, ipsumq; contemnant.

Sapissime quin etiam fit, vt ipsos concio-natores explodant, eorumq; auctoritatem ele-uent. Si enim Ecclesiastes aliquis, qui diui-no zelo motus, & vitij huius turpitudinem detestatus, in ipsum summa animi cōtentio-ne debacchetur, inuehatur, brutale, & inferni pabulum appeller, sanctorum Patrum de eodem opinionem censuramque depromat, quomodo ad vnum omnes suis ipsum colo-rib. depinxerint, quomodo S. Gregorius in Moralibus fieri non posse crediderit, libidi-nibus deditū ad sanctas cogitationes assur-gere: quomodo S. Hieronymus eo mentem Commi-

Volupta-tibus fer-uientes concionatores ex-sibilant.

Comm. Matth. anti-

animam excæcari, hominem in brutum commutari, ratione priuari, & in bestialitate sensum declinare dixerit: quo modo Isidorus eodem animam enecari & exstingui senserit; nam vt cadauer, inquit, non nisi terram odorem spirat, ita voluptatibus carnalibus deditus intrinsecus pessime olet: qui eadem opera, Bernardi sententiam exponat, vt nimirum exclamet, Quanto lasciuus labores subit, quoties cum vitæ periculo ad dominæ fores excubat, quoties frigus & æstus patitur, quo breui & momentanea voluptatula perfruatur! annos sæpe integros ambit, quærit; instat, sudat, discurret, varios labores & difficultates tolerat, quos si ad Dei honorem animæque salutem insumeret, quantam sibi meritorum in cœlesti horreo segetem coaceruaret! & ipsum quod his omnibus venatur, quam exiguum, quam momentaneum, quam breue & fallax est: & tamen æternum his omnibus sibi exitum accersit, qui etiam plura & maioris momenti & efficaciam dicat; ipsi tamen carnales dicentem explodent, illius verba exsibilabunt, & nihili facient. Videte igitur, vt semen, secus viam si ceciderit, pereat & exstinguatur. iam alia loca discutiamus.

VII. *Et aliud cecidit super petram, & natum exruit:* nam quoniam humor defecerat, defecit & germinatio. Thomas, doctor ille Angelicus, loci huius interpretem agens, de auaris hæc exponit, hi enim cum petra duriores sint & obstinati, verbi Dei semen præ humoris gratiarumque cœlestium inopia, in animis eorum germinare nequit. In cuius rei signum, Satan, omnium auarorum caput & princeps, Dei filium in Palestina desertis ambitione & auaritia tentaturus, in summa petrarum iuga eum subuexit, e quibus omnia illi toties orbis regna ostendit. Vt enim latentes in pelago rupes & scopuli naues appellentes euertunt & collidunt, (vnde Poeta *fuge litus auarum*: Ita in mundi huius mari auaritiæ rupes, & ambitionis scopuli animas sæpenumero in interitum trahunt, naufragiumque amissis tabulis & armis, subire cogunt.

In Apocalypsi Ioannes vidisse se in cœli regione volitantem aquilam scribit, quæ *habitantibus in terra* va, va, va, inelamaret. Aquila

Tom. 1. Pars Hyemalis.

hæc piorum spiritualiumque imago est, quorum, vt Apostolus testatur, *conuersatio in cœlis* Philip. 3. est: qui nimirum sublime euolent, procul ab hominum in terra habitantium, id est diuinitatis aliorumque prauo quodam affectu transuersum acti animum rebus terrenis affixere, oculis remoti. Triplicem porro auis hæc his infelicitatem denuntiat ac spondet, scilicet, vt quidem glossa exponit, laborem & sudorem in opibus parandis, anxietatem & solitudinem in conseruandis, dolorem cruciatumque in amittendis: vel, vā libidinosi, vā auari, vā diuitibus. Atque hoc innuere Propheta volebat dicens, *Terra, terra, terra, audi verbum* Jerem. 22. *Dei: libidinosorum inquam, auarorum, & opulentorum terra. Terra igitur eaque scruposa & petrosa auaros denotat, quorum scilicet animi saxosi sunt, in quibus verbi diuini semen germinare nequeat, sed natum quamprimum ardeat: audito enim Dei verbo vitæ quidem aliquam emendationem initio proferunt, sed mox ad vomitum reuertuntur, eo quod animum despondeant, conceptumque feruorem exstingui sinant.*

Ioas rex Elisæum grauitè decumbentem 4 Reg. 13. cum inuiseret, aliquot per fenestram Orientem versus sagittas emittere iussus est, sed, cum non nisi tres emisisset, grauitè à Propheeta apprehensus est, quod plures non esset euaculatus. Quadrat proposito meo figura hæc: sunt enim plurimi qui Deo seruire quidem incipiunt, sed defatigati quamprimum à cæpto resiliunt. Peccator scilicet ad Deum accedit, vitæ emendationem spondet, Deus, quantum in se, auxilium spondet, manum præbet auxiliariam, sanctas inspirationes immittit, robur suppeditat; tunc sagittam primam emittit, vitæ inquam melioris propositum, quæ validissimum aduersus demones sagitta est, iacit deinde & ahas; sed vltra tertiam non progreditur; biduo scilicet aut triduo ieiunabit, bis aut tertio peccatorum exomologesin faciet, bis terue flagris in corpus sæuiet; sed quamprimum defatigatus superfedebit; occurrunt quippe scruposæ & anxietatis difficultates, rupes molestiarum impedimento sunt, ne pergat vltèrius, & verbum Dei germinet ac fructum faciat. Ac forsitan in spineta vbi deciderit maiores editurum radices speratis? sed frustra

Luc. 3.

stranequaquam, nam à spinis suffocabitur. Et aliud cecidit super spinas, & simul exorta spina suffocauerunt illud.

Spinis diuitiæ comparantur. Luc. 9.

Per terram hanc spinis, tribulis, & sentibus oppletam, omnis omnino Sanctorum Patrum chorus diuites & locupletes intelligunt: sunt enim diuitiæ vere spinæ. Solent quippe spinæ ouium lanam decerpere & aucllerent locupletes pauperum substantiam depascere. Et vt ihamnus ille spinosus, in arborum regem cum electus esset, incendio suo aliarum ruina & interitus fuit: ita & opulenti cum ad summas dignitates euecti sunt, magnamque auctoritatem opibus sibi peperere, ruinam capitibus suis inducunt. Atque vt inter præcipua Passionis dominicæ cruciamenta, sertum illud spineum imprimis emittit: ita augurari hinc licet, coronas illas aureas, quæ à diuitiis quæ vere spinæ sunt, donantur, præcipua sæpissime instrumenta, & præsentissimas occasiones existere, vt noua filio Dei crux & passio paretur, eiusque maiestas ad iracundiam prouocetur.

Exod. 3.

Magnam se Moses vidisse visionem, imo prodigium credebat, cum Deum in rubo ardenti cerneret, Ibo & videbo, inquit, visionem hanc magnam. Et sane prodigij ac miraculi loco habendum. Deum in diuitiarum rubo apparere. Nam spinæ & dumera serpentum, colubrorum, lacertarumque receptacula esse solent.

2. Tim. 6.

ita diuitiæ, vitiorum fomenta & cunabula. Vnde ad Corinthios Apostolus, Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos diaboli, & desideria multa inutilia & nociva quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Videtis a quomodo hoc loco verbi Dei sementem suffocent, & in herba extinguant. Et simul exorta spina

Luc. 8.

Hom. 15. in Euang.

suffocauerunt illud.

Late hic excurrit magnus Gregorius magnoque sententiarum & verborum pondere suffocationem hanc exponit, dicens, Solitudines & diuitiæ & voluptates suffocant verbum, quia importunis cogitationibus suis gurgur mentis strangulant. Atque hæc ratio est cur olim Deus arbores & rubos circa altare suum plantari vetuerit: verba legis sunt hæc, Non plantabis lucum & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui, Dei autem altare cor nostrum est, spinæ vero & arbores diuitiæ sunt, mala desideria,

De Mat. 16.

voluptates & delicia: quas circa cordis aram plantare nefas, ne sua illi umbra nocent, vt quæ noxia est & pestilens. Quam igitur spinæ damnosæ sunt, vt pote quæ verbi diuini semen extinguant & suffocent? sed iam ad quartam seminis portionem se conuertat oratio, quod cadens in terram bonam ortum fecit fructum centuplum.

Philip. 3.

Porro per terram bonam, cor fide instructum, in charitate fundatum, & ab omni liberum vitio intelligere oportet. Atque vt triplex eorum esse genus diximus, qui nullum è suscepto semine fructum proferunt, ita & triplices statui queunt, in quibus semen concreditum fructum amplissimum producit. Per fructus autem hos bona intelligenda sunt opera, quæ fructus fidei & verbi diuini esse solent, vt patet è Matthæi Euangelio, *Aufertur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius*, vel, quod mihi esse videtur verosimilius, ipsa vita æterna, vt ex epistola ad Corinthios manifestum est, *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

VIII. Terra bona cot fide plenum est.

2. Cor. 9.

Ex hoc autem loco, velut ex instructissimo armamentario, tela, quibus duos grauissimos & perniciosissimos Calvinistarum Lutheranorumque errores refellamus petere poterimus. Primum, quod operibus bonis vitam æternam promereri negent, cum tamen fructus non tam terræ bonitati vitioque, quam laborantis diligentia respondeat. Secundum quod eandem omnium Beatorum gloriam putent, nullamque inter eos discrimina constituent, cum tamen tantam hic fructuum discrepantiam videre sit, aliis tricesimum, sexagesimum aliis, aliis denique centesimum proferentibus; atque hoc iuxta laborem diligentiamque quam agro colendo impenderunt. Variæ autem sanctorum Patrum, quoad hanc fructuum diuersitatem dari possunt expositiones: Centesimum namque alii ad virgines, sexagesimum ad viduas, tricesimum ad coniugatos, teste Diuo Hieronymo, & D. Athanasio in epistolis, referunt. Alii centesimum Martyribus, sexagesimum Virginibus, & viduis tricesimum ascribunt, inter quos Hieronymus: sunt qui centesimum Martyribus, sexagesimum virginibus, & tricesimum con-

Duo Caluinitari errores, qui hoc loco refelluntur.

In dicitur cum & lib. 1. con. Iovin.

Lib. 1. pp. Euangelii. Homil. 11.

iuaga-

ingatis attribuant, vt Augustinus. Nonnulli centesimum Martyribus, sexagesimum religiosi, qui omnia propter Christum vendendo, pretium in egenos distribuerunt, & tricesimum nuda & sola mandatorum diuinorum obseruatione contentis assignant, inter quos auctor operis imperfecti, Alij denique centesimum Anachoretis & eremitis, sexcentessimum Monachis & cœnobitis, & tricesimum coniugatis donant; quorum de numero Theophylactus est. Omnia hæc exhibat Calvinus nulloque in Ecclesia sua ordinum gradus constituit, ac differentiam nullam status admittit; at omnes æquales, omnes sanctos, omnes ad imitationem Iouiniani hæresiarachæ perfectos credit.

Plura his non addam Auditores, vt vos ipsos ad perfectam eorum quæ his parabolis continentur obseruationem inuitem. Cogitate igitur eorum omnium qui Christum docentem audiere, quartam tantum partem fructum protulisse; & hinc discite, quam exiguus saluandorum sit numerus. Caueamus igitur atque operam demus, ne, postquam tot conciones audierimus, vitæque emendationi non studuerimus, eadem nobis calamitas accidat, & sterilitatem proferamus. *Nolo vos ignorare, fratres scribebat Corinthijs Apostolus, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transferunt, sed non in pluribus eorum bene placitum est Deo. nam prostrati sunt in deserto.* Hanc illis figuram ob oculos ponit, vt ostendat, paucissimos eorū qui sanctas prædicationes audiunt fructum ex ijs referre, animæque salutis ideo magis incumbere.

Magna igitur animi attentione verbum diuinum audiendum; adeo vt surdior littore ille merito dicendus sit, qui ipsum audire nequit, cum tubæ ipsum Dominus in Isaia vaticinijs comparet; *Quasi tuba exalta vocem tuam*; vt belli esse signum & notam indicet; quo, qui ipsum audiunt, ad bellum demoni, vitijs & mundo inferendum accendantur. Hinc veteris testamenti sacerdotibus præcepit olim Dominus, vt tubis clangent, *sibi autem Aaron sacerdotes clangent tubis.* In tabernaculo quoque suo duas perpetuo tubas asseruari voluit, vt nam quæ vitijs bellum indiceret, alteram quæ ad virtutem accenderet. Angelus etiam ille

Apocalypseos, Euangelij magni præco, instar tubæ vocem exaltasse scribitur. Ipsa etiam Ierichuntis mœnia ad tubarum sacerdotum clangorem repente ad terram conciderunt, Quod designatur, ad sonum & vocem prædicationis doctorum, qui vere Ecclesiæ buccinæ sunt, vitiorum nostrorū mœnia & propugnacula cœlo minantia, collapsura & in ruinam itura. Gedeon denique, magus ille dux, & Israelitarum clypeus, tubas militibus in manus tradens, Madianitarum cuneos profligauit, & in fugam actos interuentione delcuit. Deo ad eundem modum concionatoribus, qui milites eius dici queunt, tubas, id est, verbi sui annuntiationis potestatem & auctoritatem, tradente; omnis vitiorum hæresumque colluuiis, atque adeo omnes Ecclesiæ hostes, in fugam compelluntur & profligantur.

Vere igitur verbum Dei, in honore habendum, & quam diligentissime & audissimè audiendum; est enim malleus cœlestis, qui durissima cordium peritiam laxa, marmora, petras, comminuit, frangit, conterit, & emoluit. Hinc per Ieremiam Prophetam expostulans Dominus ait, *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petras?* verbum suum ecce ignis nomine vocat, quod bonos accendat; mallei vero, quod impios conterat & contundat. Nam vt malleus ad dura emollienda necessarius est, ita verbum Dei ad peccatores obstinatos flectendos domandosque peraccommodum. Atque vt Iahel, generosa illa mulier, Sifaræ viro fortissimo clauum malleo per tempora adegit; ita Ecclesia, quæ in Apocalypsi & alijs Scripturæ locis mulieri comparatur, verbi Dei malleo Satanam principem illum tenebrarum enecat & occidit. Est denique malleus ille, cuius meminit Scriptura, *vox mallei innouat aurem eius.* nam dulcis illa & harmonica, verbi diuini mallei vox, incredibili iucunditate aures piorum & animas iustorum perfundit & afficit.

Cum iucunditate igitur verbum Dei audiendum est, auditumque retinendum; non vero imitandi illi qui nundinas quidem adeunt, nihil autem emunt aut vendunt; ne de vobis, quod de nonnullis sui temporis conqueritur Psalmographus, dicatur, *firmauerunt sibi sermonem nequam.* Nolite itaque crebro similes esse, quod

Apo. 1.

Ier. 6.

Iud. 7.

Verbum

Dei mal-

leo con-

ferrur.

Ierem. 23.

Iud. 4.

Ecc. 38.

Psal. 57.

2. Cor. 9.

Verbum
Dei tubæ
confertur.

Isai. 18.

Num. 20.
Ibid.

aquæ iniectum quamprimum quidem con-
pletur; at eductum, ne guttam continet. Do-
lendum tamē, plurimos cribro perfimiles exi-
stere, prædicationem quidem audientes, plenis
buccis pietatem concrepantes, nihil nisi pie-
tatem somniantes, ita vt eadem & saturi & op-
publicum eductos, vacuos esse, & auditorum
omnium oblitos. Ad quam similitudinem al-
ludens Scriptura, quodam in loco ait, *Cor fatui*
quasi vas confractum, omnem sapientiam non reti-
net. Quid enim profuerit, cibo ventrem ingur-
gitasse si per vomitum mox eiiciatur? quid cō-
ceptum fuisse proferat, si mors quam proxime
immineat? quid iuuerit, semen sacco pertuso
inferere, litteras in aqua effingere, aues illa-
queare, easque quamprimum dimittere? Ita,
quodnam emolumentum fuerit, verbum Dei
audiuisse, & auditum mox obliuisci?

Ecc. 21.

Conclusio.

Quot iam anni elapsi sunt, Auditores, ex
quo primum verbum Dei audire cœpistis? vi-
ginti scilicet triginta, quadraginta, quinquaginta,
plus minulue, audiistis tot disertos &
celebres concionatores, nomine & doctrina
per vniuersam Galliam, notissimos: eosdem
estis admirati, eorum dicta concionesque lau-
dastis, at quid tandem ex ijs omnibus retinu-
istis? quis inde securus est fructus? hincine
aliqua in vitæ ratione subsecuta est emenda-
tio? ideone firmiter & tenacius oratio vobis
Dominica, saluatio Angelica, fidei symbolū,
aut decem decalogi præcepta inhaerent? Plu-
uia vermes & bufones è terra elicit; eadem
herbarum germina producit; plantasque & ar-
bores facit eurgescere. Quid autem in anima-
bus vestris ille celestis, verbi diuini ros præsti-
tuit? quos effectus produxit? an peccatum ali-
quod fugauit? an virtutes, bona opera, san-
ctas cogitationes in cordibus vestris coegit
exerescere? Non sanatur, mihi credite æger
medicum consulentem audiendo, at quæ præ-
scripserit diligenter exequendo; ita estote facti-
ores verbi non auditores.

Iacob 1.

Si rex aliquis nūtiū vobis cum litteris di-
rigeret, amicitia; benivolentiamq; testatibus:
vos vero quæ vestra inhumanitas foret, eum
non modo domo excluderetis, sed ne intra li-
men quidem admitteretis? an non indignatio-
nem illius incursum os vos putatis? Nuntium

vobis, mihi credite, Deus delegauit, id est, san-
ctum illud verbum & doctrinam cœlestem. (In
proverbis siquidem scriptum est, *Sicut aqua*
frigida anima sienti, ita nuntius bonus de terra
longinqua) hunc proinde non in aurem solum,
quæ animæ ianua est, sed & in cordis palatium
debetis admittere: qui enim fecus faxit, in fini-
tam illius maiestatem grauiter offenderit.

Idcirco æternæ & omnipotens Deus, qui
humile agricolæ nomen minime est dedigna-
tus, (de quo filius ait, *Pater meus agricola est*) tu
inquam, qui hodie semen illud diuinum, & se-
cus viam, & in loca petrosa saxosaque, tum et-
iam in spinetum, tum in terram bonam semina-
stis: gratiam nobis presta, ne vjs illis publicis
similes inueniamur, in quibus bonum illud se-
men pedibus transeuntium conculcatur: nec
petræ, in qua radicem agere nequit: nec dume-
to senticetoue, in quo suffocatur, at bonæ ter-
ræ assimilatur, quo ita omnigenos fructus, at-
tamen cum varietate aliqua & emolumenti di-
scrimine, tricesimum nimirum in adolescen-
tia, sexagesimum in ætate virili, centesimum
autem in decrepita & exsiccata senectute, pro-
feramus: vt hac ratione de virtute in virtutem,
de perfectione vna in aliam, quasi per gradus
quosdam descendentes, tandem aliquando ad
æternam illam beatitudinem, & felicitatem
perpetuam pertingere mereamur: ad quam de-
ducere nos dignetur qui cum Patre & Spiritu
sancto viuunt & regnant Deus Redemptor noster
Christus; Amen.

Ioan. 15.

DOMINICA QVINQVA- GESIMA.

Partes.

1. Deum & hominem passum esse, difficile captu.
2. Christi de sua passione iugis memoria.
3. Christianorum de passione Christi ingrata obliuio.
4. Quod Bacchanalia multis magis cordi quam passio Christi.
5. De traditione & illusione Domini.
6. Quorum nos cæcus admoneat.
7. Præeuntes comminabundi quibus similes.

Ecce ascendimus Ierosolymam, & consumma-
buntur omnia quæ scripta sunt per Prophe-
tas: de filio hominis, Luc. 8.

FIGV-